

Dissertationem solennem de vertigine / ... proponit. Carolus Fridericus Walther.

Contributors

Walther, Karl Friedrich, active 1727.
Verdries, Johann Melchior, 1679-1735
Justus Liebig-Universität Giessen

Publication/Creation

Giessae : Typis vid. Jo. Reinh. Vulpii, [1727]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cqv9zgvq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIONEM SOLENNEM
DE

VERTIGINE

D. O. M. A.

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSAE

FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDIO

D. IOHANN. MELCHIORIS
VERDRIES

CONSILIARII ET ARCHIATRI HASSO · DARMSTADINI
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS
P. P. ORDINARII

PRO LICENTIA

*IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI
HONORES*

PVBLYCO

MAGNIF. ET EXCELL. PROCERVVM ACADEM.

EXAMINI PROPONIT

CAROLVS FRIDERICVS WALTHER

KITZINGA · FRANCVS

AD DIEM SEPTEMBR.

clō 1777.

GIESSÆ

TYPIS VID. IO. REINH. VULPII ACAD. TYPOGR.

DEPARTMENT OF SOLIDARITY

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

JOHANN MEISSNER

VEREINIGUNG

CONSILIUM ET SOCIETAS HASSO-DARMSTADENSIS
MEDICINAE ET PHARMACOLOGICAE NATURALIS

PRO-ACADEMIA

MAGISTRUS KELLER, ROTUNDI ACADEMIAE

CAROLUS-FRIEDRICH WALTHER

AB DIEBUS 21 FEBRUARII

1830

VEREINIGUNG

*AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO*

DOMINO

I O . I A C O B O

WIEGERO

IC^{to}

SERENISSIMI LANDGRAVII

HASSO-DARMSTADINI, IN COLLEGIO RE-

GIMINIS ET IVSTITIAE DARMSTADINO

CONSILIARIO

NEC NON

SERENISSIMI PRINCIPIS HAE-

REDITARII HASSO-DARMSTADINI

A CONSILIIS

BENE VTROBIQVE MERENTISSIMO

DOMINO, COGNATO, ET PATRONO SVO

NVLLO NON HONORIS, OBSERVANTIAE

ET OBSEQVII CVLTV

DEMISSE PROSEQVENDO

FELICES RERVM GERENDARVM SVCCESSVS
SANITATEM PERENNANTEM
ET INCONCVSSAM
SPLENDIDAE FAMILIAE EXOPTATISSIMVM
LAETISSIMVM AC PERPETVVM
FLOREM
ET
BENEFICIUM VNVM
OMNIVM MAXIMVM
BONORVMQVE COMPLEMENTVM
ADSISTENTEM ET AFFLVENTEM
VBIQVE
DIVINAM GRATIAM
VOTIS, QVANTVM FIERI POTEST, CALIDISSIMIS
PREGATVR
ATQVE
HANC STVDII SANANDORVM HOMINVM
CORONIDEM
IN SIGNVM DEVOTAE MENTIS ET OBSEQVII
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA
OFFERT ET CONSECRAT

CAROLVS FRIDERICVS WALTHER.

DE
VERTIGINE
 DISSERTATIO SOLENNIS.

I.

Vertigo dicitur, Latinis, ea in homine affectio, cum ^{Significatio} non tantum ob oculos circumagi omnia atque in gy- ^{& origo no-}rum verti videntur, sed & proprium caput totum- ^{minis.}que corpus circumuerti ac in gyrum duci sibi imaginatur: origine nominis deriuata, a vertendo vel vertice, siue, vt veteres dicebant, vortice, in aqua contorta & rapide circumuoluta, vel in rota in orbem acta. Hinc & Graecis vocatur δίνῳ, ἀπὸ τῆς δινέσθαι, circumagi, rotari, siue etiam ἀπὸ τῆς δίνης, a gurgite vel vortice aquarum. Si visus simul obscuratio contingit & hebetudo, atque oculi caligine & tenebris offusis obnubilantur, σκοτίδινῳ, aut σκοτήδινῳ, σκοτίδινος, σκοταδινία dicitur. Ὅταν ἡ κεφαλὴ περιφέρεσθαι φαντάζηται δίνῳ ἀναμάζεται τὸ πάθος, ὅταν δὲ σκολώδης ἢ ὄψις ἅμα τῷ δε φαίνεται, σκοτήδινῳ καλεῖται: sunt verba GALENI, *Comm. 4. in Lib. de vitiat. in acut.* Idque mali genus dicitur & σκότωμα, & σκοτωματικὸν πάθος AEGINETAE, quod PLINIVS vertiginem vocat, vertiginem oculorum & tenebras, alibi obscuritates
 A oculorum,

oculorum: vnde vertiginosi, qui eo vitio laborant, i. e. σκοτωματικοί. Vocatur etiam ἔλιγγος, ἔλιγγος HIPPOCR. *Arb.* 17. 23. & 31. *L. III.* ab ἐλιγγιάω, ἐλιγγιάω, tentor vertigine, siue ab ἔλιγξ, ἔλιγξ, quod vortex est, ex εἰλέω verito, voluo: quo vocabulo imprimis tenebricosa vertigo exprimitur. Ita GALENVS, *Comm. ad Arbor.* 23. *L. III.* ἔλιγγός, inquit, ἐστὶν ἡ σκοτοδινεία: & ALEX. APHROD. *L. II. Probl.* ἐλιγγιάωσι σκοτοδινιῶντες αἰπὸ τῆς ἐξωθεν ἔλιγγος τῶν ὑδάτων καὶ τῆς περιστροφῆς δεξάμενοι ἢ ἔνομοι. Ita & ὁ ἔλιγγος ὁ τῆς κεφαλῆς σκοτισμός HESYCHIO dicitur. Hinc ἔλιγγώδεις πυρετοί, febres vertiginosæ, apud HIPPOCRATEM, *Coac. Praenct.* τ. 106. Aliis etiam audit τόνος, ab instrumento, quo ligna tornantur, aut vasa detornantur.

II.

Dignus consideratione est affectus: ob praestantiam partis affectus.

Huius natura mali eo accuratiori diligentia perquiri & investigari meretur, quo grauiora nonnunquam mala praenuntiat & importat, & quo nobilior & praestantior est corporis illa pars, quam praecipue tentat atque infestat: Palladis scilicet arx Mnemosynesque delubrum, cerebri miranda compages, quae, tanquam vitae custos, per communicatos nervos vigorem omnibus partibus inspirat, ad arbitrium, nutumque imperantis, corpus commouet, per sensus dirigit, per rationem informat. At vero cum tot vacillantibus sententiis de causis huius mali plena sint, veterum imprimis Medicorum, volumina, vt non mirum videri debeat, si discentium mentes, dum vertiginis naturam sibi perspectam reddere volunt, a confictis crassis & vaporosis spiritibus, fumis halituosis in sese, turbinis in modum, contortis, rotatis, quibus illa volumina plena sunt, obnubilentur, ficta rotatione abripiantur, ipsaque vertigine corripantur, ita vt σκοτοδινιῶντες vix saepe hic inueniant, vbi firmo pede

pede consistere possint : adeo, vt clariff. SCHNEIDERVS, qui iam suotempore hoc exploratum habuit, indignabundus, *de Vertig. C. I.* in haec verba eruperit : *Iam dudum Franciscus Sanchez pronuntiauit, nihil sciri : verissime si hic & ea expendere, quae ab auctoribus, vertiginis naturam interpretantibus, prolata in lucem fuerunt, quibus nox caliginosa huic scotomati obiicitur. Haec veterum iuniorumque scientia est similis illi picturae, quae amat obscurum, nec unquam volet haec sub luce videri.* Hinc eo sollicitius adniti decet genuinum artis salutaris cultorem, vt ex genuinis naturae principiis causas vertiginis expediat ; sic enim in iis removendis feliciter versabitur, futurum auertere & mature praecauere, praesens rectis sanare remediis, totiusque mali curam promptius & confidentius, cum ratione, absoluere ipsi erit integrum. Proinde cum thema inaugurale Medicum, ex tenore statutorum Illustris Academiae huius Ludouicianae, proponere iure iam teneam, operae me pretium facturum existimaui, si pro ingenii viribus, quas tenues quidem esse agnosco, vertiginis originem & curandi modum peruestigare conarer. Faxit Deus, vt conatus cedat feliciter.

III.

Vt mali huius ideam recte formare & expendere queamus, ante omnia historiam eius, secundum potiores quae circumstant conditiones, proponere e re fuerit. Id scilicet satis exploratum habemus, illos, qui vertigine tentantur, omnia non tantum obiecta externa, quamuis immota, tremere, nutare, vndatim & modo sursum, modo deorsum moueri, modo in orbem agi, sed & se ipsos simul abripi ac circumverti, ita sibi, falso quidem, persuadere, vt, membris vere nutantibus & vacillantibus, cum capitis quadam

*Historia af-
fectus.*

Vertigo simplex.

tenebrosa.

caduca.

grauitate, saepe nec stabili pede consistere nec cruribus firmis incedere possint. Haec si mox transeat, aut leuior sit, neque ultra progrediatur affectio, vertigo simplex aut primus saltem vertiginis gradus dicitur. Quando vero, cum capitis & rerum conspectarum apparente rotatione, aegroti, visu repente deperdito, sibi tenebras circumfundi, aut tenebrosas lucis obscuritates, interspersis incerti discurrentisque lucis splendoribus, quos *μαγμαγυαίς* vocarunt Graeci, atq; aliqui, ex HIPPOCRATE, spectra rubra, coram oculis, interpretantur, oculis obuersari existimant, vertigo tenebrosa aut secundus vertiginis gradus vocatur. Si tandem vertiginosa illa caligo ita inualefcit, vt aegri capite & oculis, quin & omnibus fere membris, grauatis, auribus plerumque simul tinnientibus, sudore in fronte erumpente, habitu exteriori frigore suffuso, titubent, & nisi prehendantur, aut rebus subito prehensis se ipsos suffulciant, protinus concidant, vertigo caduca, siue tertius vertiginis gradus audit Medicis. Quo refertur & ille gradus, vbi aegri quamcunq; in partem caput flectunt, in eam velut cadere sibi videntur, aut, vbi sedere volunt, maximus eos timor invadit, aut quando obambulant, terra fugere ac pedibus se subducere videtur. Horum vertiginosorum auribus etiam murmur velut delabentis cum strepitu fluminis saepe insonat, aut tanquam ventus flatu vela percutiens, aut tiliarum fistularumque cantus, aut veluti stridor plaustris currentis obstrepat, verbis ARETAEI, *Lib. 1. de morb. diuturn. C. III.* Comitatur vertiginem saepe nausea, vomitus, cardialgia, debilitas capitis, cephalalgia cum euidenti pulsatione articularum temporalium, saepe etiam oppressio pectoris ab inflatione ventriculi & abdominis manifesta, aut constrictione dia-

diaphragmatis, cum anxietate praecordiali & tremore artuum.

IV.

Experientia quoque compertum habemus, affectionem istam saepe in statu naturali, in subiectis cetera sanis, occasione causarum externarum, ex phantasia peruerfa, quae corpus in consensum trahit, saepissime oboriri: nempe quando corpus alicuius in gyrum ducitur, aut quando quis obiecta in orbem celeriter acta constanter & intentis oculis intuetur, aut quando quis in alto & praecipiti constitutus in profundum despicit, aut ponticulum angustum, plenus solliciti timoris, transit; item, quando naui iactatur, vel quando curru minus commodo, aut etiam retrorsum sedens succutitur, aut quando corpus motu diuturno infirmatur, ac sanguis incitatur atque turgescit, vel quando peruigilio vires corporis infringuntur, & lassitudo, ut corpori, ita inprimis cerebro inducitur, vel quando animus assiduus, diuturnis, intentis meditationibus plurima voluit & omni impetu in aliquid incumbit, vel quando curae grauiiores, vel violenti affectus eundem versant: sicut inprimis iis, qui iras in pectore voluunt, & illarum breui furore corripuntur ac percipientur, accidere solet, quibus hinc etiam omnia gemina videntur, quod AVERROES *de Sens. & Sensib.* obseruat, atque VIRGILIUS de Pentheo furibundo memorat:

Eumenidum velut demens videt agmina Pentheus,

Et coelum geminum, & duplices ostendere Thebas.

Ita & ebriis, quibus aequae ac insanis multa videntur falsa, non tantum obiecta externa gemina & saepe multiplicia apparent, sed & caput & corpus nutare, tremere ac in gyrum

agi videtur : quod IVVENALIS exploratum habuit , quau-
do, *Satyr. VI. 303.* cecinit :

*Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum
Ambulat & geminis exsurgit mensa lucernis.*

Idque non iis tantum , quibus vinis oculi animique natant
atque nutant , (vnde vinum vertigines faciens, διὰ τὴν σκοτωμα-
τικὴν, veteribus dictum) frequenter contingit, sed & quibus
aliis ebriaminibus, narcoticis , opio cum abusione sumto,
herbae nicotianae siue tabaci fumo, debile & inassuetum
caput grauatur.

V.

*Ex ieiunio
aliisque variis
causis.*

Nec minus experientia docet, hoc malum in ieiunis saepe,
pe, quorum ventriculus moleste agitatur, in nauseabundis
& vomituriis subreperere, itemque in iis, qui ex hypo-
chondriis male habent, nec non in omnibus illis, quorum
sanguis effluuiis & vaporibus rerum graeolentium, fumis
expansiuis, sulphureis, v. gr. carbonum ultra modum expan-
ditur, & affecto simul & constricto genere neruorum, ver-
sus caput congeritur: Sicut & in omnibus affectibus, vbi,
aucta sanguinis expansione, elater neruosi generis infirma-
tur, & sanguis versus caput ultra modum compellitur, ver-
tiginosa ista affectio obrepit, vnde narium haemorrhagiam
praecedit; (fluxio vero sanguinis ex naribus vertiginem sol-
uit: teste etiam *Hippocrat. in Coac.*) morbos capitis, cephal-
algiam grauiorem, nec non affectus soporosos comitatur,
& apoplexiae in primis prodromus est. Morborum con-
uulsiuorum quoque eandem comitem esse, ex historia pa-
thologica epilepsiae & affectuum hystericorum manifestum
est:

est: prout & in omni casu, vbi cerebrum & genus neru-
 sum vel debilitantur, opprimuntur, vel spasmodicis agita-
 tionibus distrahuntur, illa superuenire solet: exemplo pos-
 sunt esse senes, in capite & cerebro imprimis vulnerati, ab-
 scissibus in capite infestati, v. *Zacut. Lusitan. Med. Hist. L.*
VIII. Obs. 12. Schenck. in Obs. longa inedia, sudoribus, diar-
 rhaeis, haemorrhagiis, hyperemesi, hypercatharsi, vene-
 ris abusu, gonorrhoeis exhausti, doloribusque exagitati, feбри-
 bus morbisq; malignis, aut gravioribus, diuturnis confecti.
 Quicquid enim in cerebro & neruoso genere, neruis inpri-
 mis oculorum, vel infirmando vel praeter naturae modum
 extimulando, tremulos motus producere valet, id omne &
 vertiginosam affectionem inferre posse euentissimum est.
 Vnde nec illud difficulter perspicitur, duobus potissimum mo-
 dis affectum hunc oboriri, vel copia sanguinis ad caput
 congesta illudque grauante, atque meninges cerebrum ner-
 uososque inde proficiscentes funiculos opprimente: vel de-
 fectu sanguinis: quando vel a capite abstrahitur & aliorsum
 deriuatur, vel quando ex aliis causis per illud rite distribui
 non potest, quemadmodum antea dictae inanitiones, syn-
 cope, animi deliquia, quibus vertigo iungi solet, illud lu-
 culenter ostendunt.

*Binis praeser-
 tim modis hic
 affectus exci-
 tatur.*

VI.

Si sectiones anatomicas, in corporibus morbo hoc de-
 functis, excutiamus, cerebri anfractus & ventriculos hu-
 more seroso pituitoso refertos, arteriolas obstructas, vascu-
 losumque glandularum, ita dictarum, apparatus induratum,
 v. *BAVHINVS, Theatr. Anatom. cap. ultim. PLATER, Ob-
 seru. L. I. C. 101. Prax. L. I. c. 7.* vesiculas aqueo & seroso
 humore distentas, in tertio imprimis cerebri ventriculo con-
 spicuas

*Anatome
 Practica quid
 hic suppediret?*

spicuas in hominibus & animalibus, v. ROLFINK. *Diff. Anatom. L. 1. C. 13.* vesiculas & hydatides maiores in aliis ventriculis, in animalibus cum primis, v. WEPFFERVS, *de Apoplex. p. 69. 70.* MANGETVS, *Bibliothec. Pract. T. IV. p. 895.* abscessum in cerebro, v. SCVLTTETVS, *Obs. 10. 11. 19.* (quod plus vice simplici, D. Praeses in ouibus vertiginosis obseruauit) sphaelum cerebri, v. BARTHOLINVS, *Act. Hassnienf. Vol. 1. Obs. 33.* reperiemus. In apoplecticorum, vbi vertigo praecedit, & morbum comitatur, cadaueribus, potissimum vasa meningum & cerebri sanguine infarcta, obstructos polyposis concretionibus crassae meningis sinus, praesertim circa torcular Herophili, vasa cerebri simili materia obfessa, & sanguine, nunc liquido nunc concreto, referta, tumida & varicosa, humorem item serosum, aliquando membranas, aliquando totam compagem cerebri, aliquando ventriculos inundantem, aliquando sanguinem in basin, anfractus & ventriculos cerebri effusum deprehendimus, v. BONETVS, *Sepulch. Anat. L. 1. C. 11.* Sic & in defunctis morbis soporosis, quibus vertigo plerumque coniuncta est, infarctum meningum & cerebri a sanguine lento, in Nosodochio militari huius loci, Dn. Praeses aliquoties obseruauit. Tumorem scirrhusum, aut etiam aliquo modo inflammatorium membranarum cerebri, cerebrum nimia humiditate & sero copioso praeter naturae modum effuso, aut etiam sanguine coagulato repletum & obfessum, abscessus in cerebro in sphaelum abeuntes obseruarunt BONETTUS, *in Sepulchr. DODONAEVS, Obs. Med. C. VII.* HORSTIVS, *T. 11. L. 11. Obs. IV.* FORESTVS, *L. X. Obs. 21.* SCHENCKIVS, *Histor. Ser. & Sanguin. p. 15. §. 108.* CAROL. PISO, *de morb. a seros. colluue oriund. P. 11. S. 11. C. VI.* COITER. *Obs.*

Obs. Anat. & Chirurg. WILLISIVS, de anima brutor. BINNINGERVS, Cent. X. Obs. XXVII. In Epilepticis etiam, in quibus vertigo semper fere paroxysmum antecedit eidemque coniuncta est, obstructions venarum iugularium atque exinde obortam colluuiem serosam in cerebro deprehenderunt Anatomici. Sic, vt vnicam saltem obseruationem afferamus, sectio epileptici, Lugduni, A. 1682. instituta, exhibuit varios venarum iugularium ramos a mucro viscido, & tartareo obstructos, ita vt gypso infarcti viderentur: vnde, lympha in cerebrum regurgitante primo somnolentia, dein insultus epileptici oborti: tandemque sanguis ipse in ventriculos cerebri effusus e viuis aegrum sustulit, vid. SPONII *Aphor. nou. Hippocr. XIX. S. II.*

VII.

Atque haec omnia, quae hucusque de natura huius affectus eiusque phaenomenis, causis, obseruationibus anatomicis adduximus, collata inter se ac comparata, eo collineant, vt diserte indubitatoque colligamus, sedem huius morbi esse in capite, atque partem primario affectam esse organum visorium cum communi sensorio, siue illa cerebri parte, ex qua nerui imprimis optici ad oculum protrahuntur, & ad quam motus vel ab obiectis organo impressi, vel alia ratione in eo excitati, propagantur. Equidem illud omni dubio caret, sensum & repraesentationem illius tremuli, & in gyrum, motus esse in anima, vt hac ratione ipsa anima subiectum denominationis dici hic possit ac debeat. Cum vero in sensuum exercitio obiectorum externorum repraesentatio in mente, siue idea immaterialis, semper fibrillarum motum & determinatum concentum in communi sensorio vel cerebro, siue ideam materialem,

Sedes huius morbi & partes affectae.

coniunctam habeat, vel ab organi agitatione vel mentis intentione excitatam, atque vna idea ex lege conspirationis animae cum corpore, alteram semper exigat ac prouocet, adeo quidem, vt, nullo etiam praesente obiecto, reducta per vim imaginationis & memoriae idea immateriali in mente, idea materialis siue motus & concentus in cerebro denuo producat, atque ipsum quoque organum, vi connexionis per nervos in consensum trahatur. Data enim certa mutatione in organo & connexo sensorio communi, oritur certa in mente perceptio, & vicissim, data certa perceptione mentis oritur simul certa in cerebro & organo conspirante mutatio, quod Dn. PRAESES, *de Aequilibr. ment. & corp.* p. 51. fusius declarauit. Hinc apparatus organi visorii, nervosum imprimis, ad cerebri medullam protensum potissimum hic esse affectum, satis expeditum est: ipsamque cerebri medullae compagem, vnde vis omnis & vigor tum sensuum tum motus organis venit, vel ab ipso huius organi apparatu male affecto in consensum trahi, vel a causa communi praeter naturae modum simul affici, atque insigniter pati, ex coniunctis, nec non antecedentibus & consequentibus, capitis speciatim grauitate ac debilitate, aurium tinnitu, & spasmodicis affectibus, lipothymia, sudore frontis, frigore extremorum, musculorum labascentium infirmitate, virium disperditiōe subitanea, euidentissimum est. Vt hac ratione cerebri medullaris compages in connexionione cum organo visorio subiectum inhaesionis dici hic mereatur. Meninges, quae vt cerebri compagem includunt, ita etiam nervos, tanquam partes medullaris substantiae cerebri per totum corpus distributas, continuo filo inuestiunt, adeo vt a magna cerebri mole ad omnes vsque minimas corporis partes

*Meninges an
sint subie-
ctum imme-
diatum hu-
ius affectus.*

tes nervos comitentur, ac proinde medulla cerebri, in duabus quasi vaginis clausa semper appareat in longa nervorum propagatione, verbis cel. BAGLIVI, *de Fibr. motr. L. I. C. V. p. m. 32. sq.* (ita, vt rectissime nervos appellare possimus portiones cerebri meningibus obductas:) hic imprimis esse affectas, a tono suo deiectas & vel constrictas nimis vel laxatas, structuram etiam meningum, qua dura praesertim tot insignioribus gaudet sinubus, tanquam sanguinis appulsi stagnis, & e contrario tam raris & minoribus arteriis, admirationem & penitorem pensitationem mereri lubentissime largimur clariss. & doctissimis *A&or. Berolinensium Collectoribus, v. Volum. VIII. p. 24. sqq.* sed prout non tam corticem aut membranas inuestientes, quam nucleum aut medullares cerebri fibrillas per corpus distributas instrumenta sensus & motus esse persuasi sumus, ita medullarem nervorum oculi & cerebri compagem subiectum, quod vocant immediatum, hic esse existimamus. Verum cum cerebrum in hoc affectu non semper per *προιοπάθειαν*, causis mali in ipso cerebro latentibus, illudque proxime infestantibus oriatur, sed aliquando etiam, quod ex iis, quae supra diximus, facile colligere licet per *δευτεροπάθειαν*, ob consensum cum partibus inferioribus, quarum spasmi successiue ad cerebrum, vi connexionis nervorum, propagati atque vibrati, vel ipsas teneriores fibrillas, vel in his contentas iisque vim & vigorem inspirantes tenuissimas vndas motu tremulo inordinato cient. Hinc vterus, menterium, hypochondria, ventriculus aliaeque partes inferiores causae subiectum recte aliquando dicuntur.

*Subiectum
Causae partes inferiores.*

VIII.

Neque adeo arduum fuerit, si quae modo exposuimus, curatius expendamus, atque intenta mente omnia dispiciamus, causam & rationem formalem huius affectus detegere ac perspicere. Nempe, illud in naturali Philosophia factis expeditum est. Visionem fieri, quando radii lucis ab obiectis adspectabilibus emissi vel reflexi ad oculum pertinent, datoque per tunicam corneam, humorem aqueum, & pupillam aditu, in humore crystallino potissimum colliguntur & refringuntur, ac per humorem vitreum ulterius refracti ad tunicam retinam, quae cerebri quasi soboles, propago, ac medullaris nerui optici substantiae expansio est, contendunt ac diriguntur, atque hic certo ordine incidentes ac congregati, (dum plures radii, qui ab eodem obiecti puncto exeunt aut reflectuntur, atque a se inuicem aliquomodo diuergunt, in fundo oculi in idem punctum confluunt; vt velut pernicillos quosdam constituent;) non tantum imagines obiectorum depingunt & exprimunt; sed & capillamenta illa extrema sine fibrillas apte tensas & expansas aequae ac contentum in illis liquidum tenuissimum certo modo concutiant, in motum cient, atque hanc concussionem ad cerebrum & commune sensorium prouehunt & continuant, eoque ipso certam ac determinatam impressionem, motum, fibrarumque, vel vndarum fluidi neruei per fibras, instar solidarum chordarum, protensi contremiscentium concentum producant, cuius occasione ipsa mens certam sibi sistit repraesentationem, eamque iudicio suo versus obiectum, tanquam causam frequentissimam ac ordinariam huius affectionis exporrigit, ipsamque affectionem, quam, occasione impressionis in organo & per organum

Visio quomodo fiat.

*Substantia
Causa
Insuper*

num in cerebro excitatae, ipsa sibi formauerat, obiecto tribuit, idque lege adeo constanti, vt cum similis fibrillarum retinae & neruorum commotio ab alia causa vel interna vel externa, nulla praesente luce, in tenebris, oculis etiam clausis, excitatur, similem repraesentationem mens sibi sistat eandemque extra oculum, iudicio decepto, protendat, atque obiectum, quale nullum adest, ante oculos sibi fingat, inanemque speciem intueatur. Vt quando oculis vel clausis, vel in tenebris confrictis, pressis aut valide percussis, vel albicantis lucis tractus, vel varii colores iisdem obuersari, vel scintillulae igneae, quas tamen nemo, nisi percussus videt, ex oculis exsilire videntur: videatur imprimis Illust. BOYLE, *de color. P. I. C. II.* Nempe frictione aut percussione, succussu, incitatione, tenues organi fibrillae concutiuntur ac vibrantur, vt tali motu contremiscant, quali a luce ab obiectis emisso aut reflexo alias incitari solent, vnde, propagata hac commotione ad cerebrum, oritur certa idea materialis, & ex lege conspirationis utriusque substantiae, simul idea immaterialis siue repraesentatio conueniens in mente.

*In tenebris
saepe, aut o-
culis clausis
lumen oculis
obuersatur.*

IX.

Non minus ex Physicis, speciatim opticis, principiis certum ac euidens est, animam obiectum aliquod, quod occasione impressionis ac motus in organo, & huic quidem conuenienter sibi repraesentat, in statu quietis sibi sistere, quando oculus obiecti speciem eadem tunicae retinae parte & ex consequenti, iisdem cerebri fibrillis constanter & diu excipit. Motum vero alicuius obiecti mentem sibi repraesentare, & ante oculos proponere, quando species rei in oculi fundo locum mutat, atque aliae aliaeque retinae

Visio quietis.

1795197.

*Visio motus
in circulum.*

partes &, per illas, aliae aliaeque cerebri fibrillae concutiuntur & agitantur, haud alia ratione ac tactu motum percipimus, quando alias aliasque organi partes obiectum contingit & afficit. Ita enim anima de loco obiecti extra oculum mutato iudicat. Itemque, motum in circulum aut gyrum animam sibi sistere, quando obiectum aut eius imago, sub motu vel vero vel apparente, eandem continuo ab oculo distantiam seruat aut seruare videtur.

X.

*Ex quibus
causis visio
motus oria-
tur.*

Neque difficulter etiam perspicitur, causam, quae efficit, ut obiecti species aliam aliamque retinae partem afficiat, esse vel ipsius obiecti continue variatum situm: vel, obiecto immoto, ipsius oculi translationem de loco in locum, & quidem insensibilem, aut talem ad minimum, ubi mens magis attendita est ad mutationem situs obiecti, quam ad motum oculi: vel, obiecto & oculo immotis, tunicae retinae fibrillarumque nerui optici atque ipsius cerebri, vel etiam simul fluidi nervei per illas fibrillas instar radiorum solidorum protensi dimotionem & agitationem. Posita enim vna ex hisce causis, eadem tunicae retinae pars obiecti imaginem constanter & diu excipere nequit: adeoque motus idea producit, tum materialis in cerebro, tum immaterialis in mente. Siue enim obiectum moueatur oculo quiescente, siue oculus moueatur obiecto immoto, radii ab obiecto emissi aut reflexi non incidunt in eandem fundi oculi partem; cumque ex immutatione loci, in quo afficitur retina, vel in quo depingitur imago, anima iudicet de immutatione loci, in quo apparet obiectum, non potest non obiectum vere quiescens, si oculo moto spectetur pro moto, & si distantia
ab

ab oculo non mutetur, aut mutatio illa distantiae tam facile deprehendi aut diiudicari non possit, pro circumactō haberi. Et sic oculo continue dimoto, agitato, aut fibrillis nerveis retinae, nervi optici ipsiusque cerebri dimotis, impulsis, tremantibus, aut tussiendo fortiter commotis, aut sanguine congesto & bulliente, in dolore frontis & capitis, imminente haemorrhagia narium, aut etiam in affectibus febrilibus, ardentibus, malignis, succussis, aut spasmodicis contractionibus, imminentibus convulsionibus, incitatis, mutatur semper loci, in quo obiectum est, repraesentatio, unde motum obiecto anima affingit.

XI.

Cum igitur motus obiectorum in vertigine sit tantum *Causa vertiginis vel in oculo moto vel tunica retinae & nervis fibrillis quae renida.* apparens, atque ipsa obiecta immota situm non mutant hinc vel in oculo moto, vel tunicae retinae, nervi optici, medullaeque cerebri fibrillis, aut fluidi nervei radiis dimotis, agitatis, contremiscentibus causa gyratorii illius motus quaerenda erit. Non in illo. E. in his. Idque eo clarius & evidentius est, si consideremus, omnia illa, quae in oculo vel nervo optico, ac quae huius est expansio, tunica retina, ipsiusque cerebri, unde haec & iste originem ducunt, medullaribus fibrillis, motum ac tremorem, agitationem inordinatam producere possunt, vertiginem etiam, indubitata experientia teste, inferre. Vnde facile conficitur, causam, *Causa gyratio formalis.* quam vocant, formalem proximam esse hic dimotionem, distensionem, impulsam & concussionem aut constrictionem tremulam tunicae retinae, nervi optici, & cum hoc cohaerentium & continuatarum fibrillarum cerebri, vel etiam fluidi, quod vocant, spirituosum per has aequae ac nervosos funiculos instar solidorum radiorum distributi. *Causa materia-*

*Causa mate-
rialis.*

*Plethora fre-
quentissima
vertiginis
causa.*

materialis est omne id, quicquid neruorum opticorum legitimae constitutioni, intensioni, directioni naturali fraudi esse potest, quicquid vel neruosum oculi apparatus vel membranas cerebri ipsumque cerebrum praeter naturam, interne, externe, premere, aut distendere valet: vt, in malo grauiori, impressiones cranii, exostoses, humores cruenti, purulenti, serosi, pituitosi, effusi, stagnantes, iis in locis, vbi vel oculi partes neruosas vel cerebrum eiusque membranas comprimere, extimulare & ad spasmodicas constrictiones ac vibrationes incitare possunt. Tumores item inflammatorii, purulenti, serosi, scirrhosi atque similes iisdem in locis enati. Frequentissima vero huius mali causa materialis est sanguis copia peccans, aut etiam nimium expansus, rarefactus, ad caput congestus, vasa cerebri & oculorum infarciens, distendens, neruos premens, dimouens, aut sub difficiliore etiam transitu serum hinc inde in cerebro & circa neruorum initium & progressum, praeter naturae ordinem, deponens. Hinc inter signa plethorae refertur vertigo. Hinc vasorum capitis, in vertiginosis plurimis, inflatio & rubor faciei observatur. Hinc apoplexiae saepe prodromus & morborum soporosorum comes est vertigo. Hinc narium haemorrhagiae secundum HIPPOCRATEM, nec non aliae euacuationes sanguinis deriuatoriae soluunt vertiginem. Hinc quicquid sanguinis refluxum a capite, siue per compressionem, siue per obstructionem vasorum reuehentium, aut alio modo, impedire solet, vertiginem inducit. Hinc si quis plethoricus versus terram pronus corpus & caput inprimis diutius inclinatur, sublatus vertiginosam capitis afflictionem sentit: manifesto indicio a repletionem arteriarum capitis & molesto infarctu, neruorumque

que oppressione oriri hanc affectionem. Nec minus huc facit sanguis quoad qualitates vitio aut labe infectus, seroque vitioso repletus, viscidior, acrior, ad motum per vasa minima ineptus, aut tardius per illa procedens, in maioribus ramis hinc collectus, congestus; unde motus irregulares, aequilibrium partium solidarum & fluidarum destructum, tonus solidarum infirmatus, aliaque partium harum vitia, constrictiones spasmodicae, quarum vitiosa molimina plerumque caput, cerebrum, & inde ad oculos quoque propagatos nervos infestant & vel idiopathice, ut vocant, vel sympathice male afficiunt. Docent hoc & euidenter ostendunt scorbutici, hypochondriaci, cacochymici, obstructionibus viscerum, hepatis, lienis obnoxii, ventriculi vel debilitate, vel intensione nimia spasmodica affecti, nec non ii, quorum primae viae putrilaginosa acri ac verminosa colluvie scatent. In his enim aequae ac illis sanguis non recte subactus, infectus, impurus, aut serum viscidum minusque fluxile, acre, non tantum stagnationibus, congestionibus, aliisque irregularibus motibus ansam, occasionem & materiam praebet, sed & acrimonia sua, fibras sensiles, quas imbuit ac peruat, ad constrictiones praeternaturales sollicitat, totumque nervosum genus saepe praeter naturae modum exagitat. Sicut & dolor quicumque grauior, dum ad spasticas vibrationes genus nervosum incitat, vertiginem producit; unde & calculus renum ac vesicae, itemque flatus in ventriculo & intestinis, vitiosi in utroque humores, causae materialis hic aliquando vice funguntur; in malo quidem per consensum, ubi fibris partium inferiorum irritatis, distentis, motus inordinati & spasmodici nervorum ad cerebrum prouehuntur, ita quidem, ut aegri

Sanguis qualitate peccans causa huius morbi.

Calculi, & flatus alii quando causae huiusmodi.

C

motum

Erronea veterum opinio.

motum ex partibus inferioribus ad superiora vergentem sensu percipiant: id quod erroneae veterum opinioni occasionem dedit, quod, in his casibus, halitus crassi, fumi & vapores, ex primis viis inprimis & vtero, ad cerebrum ascendunt, atque spirituum animalium lumen ibidem obnubilent motumque perturbent.

Causae priuatiuae.

Sanguinis defectus aut impeditus ad caput affluens.

Fluidi neruorum defectus.

XII.
 Quemadmodum etiam a sanguinis defectu spasmodicae partium contractiones oboriri solent, dum vasa neruorum elateri & in aduersum nisui sufficienter reniti non possunt, atque sublato sic partium fluidarum & solidarum aequilibrio, solidarum nisus praeter naturae ordinem exsuperat: ita & hic defectus, tanquam causa priuatiua, vertiginem inferre potest. Vnde quicquid sanguinis sufficientem affluxum ad caput impedit, vertigini occasionem praebet. Ita quoque, quando vel ex languore cordis, vel obfessa a polyposis concretionibus via, sanguis ad caput & cerebrum in copia sufficienti deferri nequit, cum lipothymiis vertigines quoque oriri experientia quotidiana testatur. Neque minus priuatiua eiusmodi causa vocari meretur, fluidi illius tenuissimi, quod in cerebri vasculosis anfractibus secernitur, atque huius aequae ac neruorum fibris debitam tensionem, robur ac elaterem largitur, defectus. In hoc enim casu, fluidarum partium nisus exsuperat, & aequilibrium, neruorum vitio, tollitur, neruique facilius a causis positiuis distendi, moueri, dimoueri & inordinatis vibrationibus commoueri possunt: unde senibus facillime obrepit hicce affectus, atque ex grauioribus morbis debilitatos ac infirmatos infestat, & post morbos iam superatos tam diu molestus est, donec instauratis viribus plena rursus natura vigore insurgat.

XIII.

XIII.

Causae remotiores, quae ad malum hoc viam sternunt, variae sunt & diuersae. Inter illas primo occurrunt, temperamentum sanguineo-melancholicum, vbi viscidum calore intumescens infarctus & oppletiones producit, quibus caput afficitur, & in consensum trahitur: nec non temperamentum phlegmatico-sanguineum, atque ille corporis status ac dispositio, vbi laxiores atque remissiores sunt partes solidae, praesertim cerebri & neruorum funiculi, & sanguis ad rarefactionem, expansionem, stagnationem pronior est: vnde veteres temperamentum capitis calidum & humidum in hunc censum retulerunt. In hoc enim statu, sanguis ad caput & cerebrum facile admittitur, neque tamen promte satis transpellitur, vnde congestio, oppletio, & si simul turgescat & expandatur, eo maior pressio. *Habitus athleticus.* Quamuis enim hic pro bono imo optimo, communi vulgi consensu, aestimetur, non sine ratione tamen eundem lubricum & periculi plenum, cum HIPPOCRATE *L. 1. Aphor. 3.* iudicant periti, cum sanguis, in eiusmodi corpore, floridus & expansiuus facillime turgescat, & cum, in illa euexia, ad summum distensionis euasit, accedente leuissima causa, sublato aequabili partium solidarum & fluidum nisu, vltra modum caput imprimis infarciat, grauet, neruisque ac cerebro moleste instet. *Status corporis plethoricus,* qui spissiolem sanguinis crasin producit & coniunctam habet. Copia enim tonum partium obruit, infirmit; vnde stagnationes & distensiones, motus inordinati, spasmodici, congestiones, hinc inde, quibus vel ipsum caput oppletur, vel, ex infarctu & distensione aliarum partium, per consensum tamen afficitur. *Dispositio haereditaria,* quatum

*Causae remotiores**Temperamenta.**Habitus athleticus**plethoricus**Dispos. haereditaria.*

tum fluidarum, tum solidarum partium labeſ, quae ad hunc affectum ducit, a parentibus in liberos translata eſt.

Aetas ſenilis. Aetas ſenilis v. HIPPOCRAT. *L. III. Aphor. 31.* quae ob virium debilitatem, tonum partium infirmatum, indeque obortam & inualeſcentem humorem viſcidatam, cruditatem atque acridinem, huic inprimis malo obnoxia eſt.

XIV.

Aër Quandoquidem ex aëris & ventorum mutationibus & alterationibus tranſmutari & alterari corpora noſtra ſolent, ſecundum HIPPOCRAT. *de morb. ſacro*, adeo mirum videri non debet, ſi aër quoque in cenſum cauſarum huius mali veniat: iſque tum iuſto frigidior, qui neruorum conſtrictiones, ſpalmos, conuulſiones, rigores producit: teſte HIPPOCRATE, *L. V. Aph. 17. 20*, qui cutim obdurat atque habitum exteriorem conſtringit, vnde ſanguis ad interiora compulſus, praecluſo ad partes exteriores & inferiores refrigeratas liberiori aditu, ad caput congeritur: quae cauſa eſt, quod aliquando haemorrhagias narium grauioreſ a nimia refrigeratione obſeruentur: vnde pedum inprimis refrigeratio, praefertim corpore calente, hoc mali genus facile inducit: tum iuſto calidior, qui ſanguinem nimis expandendo cerebrum & neruos premit ac debilitat, & hinc etiam mentis torporem producit: Hinc experientia etiam docet, illoſ, qui ſub radiis ſolis diutius commorantur, aut balneis intempeſtiuiſ, vel calidioribus, improuide vtuntur vertigine corripì. Inprimis vero conſtitutio aëris auſtrina ad hunc morbum diſponit. Ab auſtro enim ſolui ac humectari cerebrum & venas laxioreſ reddi, HIPPOCRATES obſeruauit, v. *L. de morb. ſacro*. Vnde auſtrinoſ flatuſ audi-

tum

*Conſtitutio
aëriſ auſtri-
na.*

tum hebetantes, caliginosos, caput grauantes, pigros, dissoluentes vocat *L. III. Aph. 5.* sicut & austrinas constitutiones dissoluere corpora & humectare, auditum obtundere, capita aggrauare & vertigines facere, oculis & corporibus difficilem motum praestare, *L. III. Aphor. 17.* tradit, conf. **GALENVS** *in Comment. ad hos Aphor.* quod non tantum in Graecia & Italia, sed & in nostris regionibus obtinet. Verissime excellent. **FRID. SCHRADERVS**: Auster, inquit, a Graecis *καυρηβαρηνος*, caput grauans, dictus, humores soluit, grauedines & catarrhales destillationes excitat, nervos flaccidos & imbecilles reddit; vnde motus impotentia, somnolentia, torpor, capitis dolor, vertigo. Epileptici tum frequentius miseranda spectacula exhibent, & passim homines, sanitate adhuc fruantes, flante diutius austro tristiores morosioresque esse solent, *Praelect. in Aphor. Hippocr. L. III. §. VIII.* Auster enim calidus & humidus est: **GALEN.** *Comm. in L. III. Aph. 5.* Vnde partes fluidas expandit, distendit, solidas laxat & soluit, atque hac ratione vtroque huic malo fores aperit. Praeterea experientia compertum habemus, sub austrina constitutione mercurium in barometro ad aliquot pollices descendere, Sub austrina constitutione aëris pondus decrescit manifesto indicio, aëris, qui corpora nostra ambit & premit, pondus multum imminutum esse, ita quidem, vt si mercurius in barometro ad 3. pollices descendat, ex certis datis, subducto calculo, haud vane concludere liceat, pondus aëris toti corpori vndique circumfusum ad 4000. libras decreuisse: quo pondere externo remoto, vis fluidorum in corpore renitens increfcit, partes solidae in tensione, nifu, pressione sua, qua fluidae vrgentur & propelluntur, remittunt, fluidae rarefcunt, intumescunt, magna sui parte vnde mutationes in microcosmo, augen-

*In macrocos-
mo.*

augentur, unde totum corpus praeter modum inflatur, torpet, caput oppletur atque grauatur, haud aliter fere, ac si sanguis ab ebriaminibus aut liquoribus rarefacientibus, spirituosus, aliquo modo expansus fuisset. Quae ratio eo clarius perspicitur, quando, etiam in macrocosmo, imminuto sub austrina constitutione aëris exterioris pondere ac pressione, aërem interiorem, & halitus subterraneos expandi magis ac maiori vi e terra quasi erumpere, atque hinc fontes & puteos turbidos fieri, specus & cryptas subterraneas expirationibus ac vaporibus crassioribus impleri, montes fumare obseruamus. Hinc & ratio in propinquo est, cur ventus auster, secundum HIPPOCRATEM, dissolutionem & eliquationem operetur in mari, fontibus, fluminibus, puteis & terrae nascentibus, in quibus humor inest. Cur haec omnia ventum hunc sentiant & ex splendidis tenebrosa fiant, & ex frigidis calida, & ex siccis humida *L. de Morb. sacr.*

XV.

Cibi & potus.

Sic etiam cibi, vel nimia in copia ingesti, vel *δυσπεπτος*, flatulenti, pingues, qui ventriculum obruunt, onerant, a tono deiiciunt, nauseam pariunt, crudiores succos & flatus subministrant, imprimis hic nocent: tum quod ventriculum per se & caput ac cerebrum per consensum laedunt, tum quod visciditatibus generandis, stagnationibus ac congectionibus ad caput materiam, causas, & occasionem praebent. Potus quoque, tum calidi, tum frigidi, abusus hic accusari meretur: praesertim vero potulenta, quae sanguinem expandendi & rarefaciendi vim habent, omnia ebriamina hoc mali genus prouocant. Calidum enim laxando, frigidum stringendo partes neruosas laedit. Rarefacientia vero, sanguinem

guinem expandendo, aequilibriura partium fluidarum & solidarum tollunt, partes infirmant, stagnationibus ac congestionibus, oppletionibus ansam suppeditant. *Motus* Motus quoque nimius fluida exagitando, rarefaciendo, exsiccando, exacuendo, solida infirmando multum huc contribuit: sicut & quies nimia, quae ad plethoram viam sternit & cruditates cumulat. *Quies* Somnus & vigiliae, si modum exsuperint, vertiginem etiam accersunt. Ille quidem dum segnitiam corporis & capitis grauitatem facit. Hae vero dum, sub continuo sensuum & motuum exercitio, tonus & tensio partium, inprimis cerebri & neruorum, labefactatur, vt facilius a sanguinis in aduersum nisum superentur & ad tremulam infirmitatem disponantur. Nec parum huc faciunt excretiones & euacuationes sanguinis naturales suppressae, artificiales, praesertim consuetae, neglectae. *Euacuationes suppressae.* Euacuationes sanguinis & seri per nares cohibitae hoc malum inferre & **GALENVS** obseruauit, & quotidiana experientia confirmat. Ita enim & plethora hic nociua succrescit & cruditates vbique proueniunt. Sic etiam excretiones nimiae, haemorrhagiae, *Excretiones nimiae.* haemorrhoides immodicae, menstrua nimis fluentia, venus nimia, seri per aluum excretiones immoderatae, hoc malum inducunt. Vires enim cum sanguine & humoribus fugiunt, corpus eneruatur, spasmi oriuntur & insurgunt. Quid animi affectus hic possint illi obscurum esse nequit, *Affectus animi.* qui in conspiratione animae cum corpore, nullam vehementiorem mentis agitationem sine principii neruorum, in meditullio cerebri, simili commotione violenta, qua cohaerens neruosum genus simul stringitur & commouetur, ori posse perspectum & exploratum habuerit.

XVI.

*Res praeter-
naturales.*

Tandem & in numerum causarum remotiorum hic referri merentur omnes affectus morborum, qui cerebrum & genus neruofum, vel proxime & immediate, vel mediate & per consensum affligunt, atque vel oppletione, vel inanitione, aut immodica humorum detractio, vel stimulo acriori, distensione molesta & doloris plena, cerebri & neruorum fibrillas ad inordinatos, spasmodicos & conuulsiuos motus incitant. Quo pertinent insultus febriles, ventriculi & intestinorum affectus, cacochymia, praesertim scorbutica, cachexia, inflatio abdominis, viscerum obstructions, sanguinis per venam portae transitus impeditior, malum hypochondriacum, hystericum, dolores, inprimis capitis exquisiti, affectus spasmodici, arthritidis vertiginosa, vid. GVILHELM. MVSGRAVE, Anglus, de *Arthritide Anomala*, Cap. XIV. hypercatharses, hyperemeses, cholera, &c. percussiones & laesiones capitis. Nec immerito causis his accensentur ingesta & assumpta praeter naturalia, vaporosa, sanguinem rarefacientia, expansiua, narcotica, opiata, fumus tabaci apud inassuetos, nec non venena, siue rarefacientia, siue constringentia & incrassantia, siue corrodentia, animalia, vegetabilia, mineralia. Ex vomitorio oblato tunicas ventriculi laceffente vertiginem immanem aliquoties obseruauit WILLISIVS, de *An. Brut.* L. VII. p. m. 206.

XVII.

*Quomodo hoc
malum ex
causis suis
proueniat?*

Haec si recte cognoscamus & diligenter expendamus, in procliui erit intelligere, qua ratione ex hisce causis id mali genus, secundum gradus suos, atque diuersas, quae circumstant, conditiones, & aliae simul affectiones, quae illud

illud comitantur & sequuntur, exoriantur. Neque enim, si ad ea, quae supra §. X. & XI. de causa proxima & ratione formali dicta sunt, animum aduertamus, intellectu difficile fuerit, quomodo, posita illa fibrillarum retinae neruique optici dimotione, incitatione, agitatione tremula, obiecta nutare, vndare, tremere, fursum, deorsum, aut etiam in orbem verti videantur: quando scilicet, sub illis organi statu & conditionibus, aliter fieri nequit, quin impressiones determinatae, a radiis visuiis excitatae, fiant in aliis aliisque, successiue, retinae partibus aut fibrillis ad cerebrum protensis, ita, vt si sinistrorsum fiat progressus, a sinistra ad dextram, si ab inferioribus ad superiora, a summo ad imum obiecta moueri videantur, (cum propter angustiam pupillae, in qua radii se decussatim secant, imagines & species visiuae contrario situ positaee appareant,) & quidem motu tremulo & vndante, (anima motum organi ipsius obiectis, vel vere extra positis; vel per figmentum imaginationis apparentibus, affingente,) & si obiecta eandem feruent & feruare videantur ab oculo distantiam, aut si hanc mutatam anima diiudicare nequeat, in gyrum. Et cum per eas impressiones in fibrillis nerueis organi producatur certus quidam & determinatus motus fibrillarum medullarium cerebri, aut, si mauis, radiorum fluidi, has fibrillas intendentis, quam ideam materialem vocamus, cuius occasione oritur in anima idea immaterialis siue repraesentatio rei motae: atque illa idea materialis siue motus determinatus, ob validiorem aut diuturniorem impressionem, aliquamdiu duret, ac simul ab idea immateriali diutius animae, sub intentione sollicitiori, obuersante conferuetur: (sicut enim idea materialis exigit, prouocat &

Cur omnia tremere & moueri videantur?

Cur in gyrum agi videantur?

Cur clausis oculis haec idea motus perduret?

conferuat immaterialem; ita haec quoque, in conspiratione corporis cum anima, prouocat & conferuat quoque illam:) facile perspicitur, cur, clausis etiam oculis, ille motus in gyrum adhuc perduret ac percipiatur, & cur omnibus iis, quae anima tum sibi sistit, ideam hanc motus tribuat & affingat; & cur proin, proprium etiam corpus circumuerti videatur. Cum etiam illa fibrillarum retinae neruique optici incitatio non tantum a radiis lucis incidentibus, sed & ab aliis causis fieri & oriri, atque simili ratione idea materialis rei motae in cerebro produci possit, secundum ea, quae §. X. obseruauimus, in promptu ratio est, cur oculis clausis, quin & in tenebris, sine luce oculos perstringente, hic affectus saepe proueniat, & cur etiam in caecis aliquando oboriatur. Posita enim fibrillarum neruearum ab organo etiam quodam modo labefactato, ad cerebrum propagatarum certa ac determinata vibratione, oritur certus ac determinatus motus, siue idea materialis, in communi sensorio, cui respondet, conueniens repraesentatio, siue idea immaterialis in mente. Simili modo ac in iis hoc ipsum contingit, qui membris ablatis, postea membrorum istorum, quibus tamen destituuntur, graui dolore conqueruntur, qualia exempla apud Philosophos & Medicos occurrunt non vna, & ab ipso Dn. Praefide quoque sunt obseruata. Quemadmodum vero in illa omnium obiectorum & proprii etiam corporis, apparente quidem, rotatione & vacillatione, anima de aequilibrio seruando sollicita; vt casum, quem imminere sibi falso credit, euitare possit; turbata attentione & constantia requisita; eo intentionem, ad musculos intendos & mouendos, dirigit, vbi minime opus est, ita, in illa falsa persuasionem & confusione, ipsa, nutu quasi suo turbat aequi-

Cur oculis clausis, aut in tenebris, aut etiam in caecis hic affectus oboriatur?

Vnde turbatio?

aequilibrium musculorum : vnde irregularis horum motus, vacillatio, titubatio vera corporis, atque hinc metus non inanis, a metu tremor ingrauescens, titubatio maior, tandemque in malo grauiori lapsus.

XVIII.

Nempe, inualescentibus causis, inualefcit ipse affectus. *visus hebetudo & obscuratio vnde e*
 Si infarctus arteriarum nervos oculi comitantium sit maior & diuturnior, oppressio quoque atque dimotio fibrillarum maior erit. Si constrictio spasmodica fuerit validior, dimotio ac distractio fibrillarum retinae & nerui optici maior erit : atque ita vtrobique fibrillae ineptae fiunt ad lucis impressionem, recte, ex naturae praescripto, recipiendam & ad cerebrum rite propagandam ; vnde visio ipsa hebes admodum & obscura redditur, ita quidem vt, in impressione & constrictione nimia, saepe visu repente deperdito tenebras sibi circumfundi opinentur, aut fibris vel arteriolarum pulsu, in illa dimotione & distractione, incitatis, vel spasmodica contractione vibratis, variae & *vnde splendor & spectra rubra Hippocratis*
 confusae impressiones fiant in communi sensorio, vnde variae dubiaeque lucis, cum intermixtis vmbri, discurrentisque splendoris, spectrorumque rubrorum
HIPPOCRATIS perceptio oritur in anima. Si causae istae, nempe congestio, infarctus, oppletio, aut spasmodica constrictio eo vehementiae & acerbitatis procedant, vt cerebro grauato & quasi oppresso, vel contractione spasmodica meningum constricto, aut alia ratione agitato & affecto, neruisque infirmatis, fluido per illos non amplius rite distributo, robur partium pereat, caput langueat. *Cur aegritandem concidano?*
 instrumenta motus, amisso tono & tensione, torpeant, inu-

*Vnde sudor
frigidus in
fronte?*

*aurium tin-
nitus?*

*cephalalgia
& anxietas
praecordialis?*

*vertigo in ie-
iuniis?*

*Cardialgia,
nausea, vo-
mitus?*

nere suo fungi rite nequeant, atque hinc aequilibrium mus-
culorum destruat, ut corpus in situ erecto seruare ne-
queant: tum aegri, nisi suffulciantur, concidunt; habitu
exteriori, sub illa spasmodica affectione per totum corpus
se diffundente, constricto, & proin frigore suffuso, sudore,
sub violenta illa commotione, in fronte quasi expresso. Et
cum non tantum oculi afficiantur, sed & aures in consen-
sum trahantur, fibrillis nerueis circa labyrinthum, cochleam
spiralemque laminam, vel a sanguinis intercepti, bullientis
impulsibus, praeter naturae modum agitatibus & commotis,
vel spasmodicis constrictionibus incitatis & vibratis; tinni-
tus quoque, murmur, susurri, stridores, strepitus, vari-
que soni auribus simul obuersantur. Neque his perspectis
obscurum esse potest, cur cephalalgia cum euidenti pulsa-
tione arteriarum temporalium, debilitas capitis, tremor
artuum, oppressio pectoris cum anxietate praecordiali
hoc malum comitetur. Et cum ea sit ventriculi & capitis
atque cerebri, per neruos paris vagi & intercostalis con-
sensus, ut bona & mala sua cum se inuicem communicent,
non longe petenda ratio est, cur ventriculo in ieiuniis ex-
stimulato & moleste affecto, aut in statu p. n. nauseosa inci-
tatione commoto, molestus vertiginis sensus obrepat, & ver-
sa vice, capite & cerebro male affecto, commoto, exstimula-
to, imprimis in vertiginis isto affectu, nerui ventriculi si-
mul afficiantur, exstimulentur, concitentur, & proinde
cardialgia, nausea, subuersio & vomitus hunc affectum ali-
quando antecedant, aliquando comitentur & sequantur; id
quod promptius & facilius intelligit, qui originem nerui in-
tercostalis ex quinto & sexto pari neruorum, quorum rami
oculorum partibus impenduntur, originem sollicitius expen-
dit.

XIX.

Atque ita porro, si quae de modo visionis, de visione motus, causisque commemorauimus, ad animum reuocemus, rationem reddere haud difficulter poterimus, cur a motu corporis in gyrum vertiginis molestia oboriatur. Enim vero, moto oculo, obiectorum species successiue incidunt in aliasque tunicae retinae partes; ita producit in communi sensorio idea materialis rerum motarum: huic respondet conueniens immaterialis in anima: vnde omnia moueri videntur, & cum distantia obiectorum ab ipso vidente non mutetur, in circulum. Cumque sub motu celeriori, diuturniori, haec ipsa materialis idea, siue motus determinatus in fibrillis cerebri, fortius fuerit impressus, ita, vt etiam corpore cum oculo non amplius moto, vibrationes istae contremiscentium certo ac determinato modo fibrillarum cerebri aut fluidi illos intendentis, aliquamdiu perdurent, non mirum sane, si, durante idea materiali, etiam immaterialis conseruetur, & circumgyrationis iste sensus, aliquamdiu post motum istum, in anima reperiatur, ita quidem, vt quo diutius corpus circum actum fuerit, eo diutius, postquam quieuius, idea motus in gyrum animo obuersetur. Atque hoc ex eo, quod vulgo constat, clarius perspicitur. Nimirum si in lucem viuendam ac fortiorem, aut obiectum vegeta luce collustratum aliquamdiu intentis oculis intueamur, atque mox oculos vel nonnihil claudamus, vel in aliud minus illustratum conuertamus, tum lucis quaedam species satis diu nobis obuersatur & super obiectum nouum expanditur, ita, vt visioni distinctae fraudi sit, nec parum iucommodi afferat: euidenti satis indicio, impressum illum in organi fibrillis & ad cerebrum

A motu corporis in gyrum quomodo vertigo oritur?

Cur haec aliquam diu post motum perduret?

Cur ab intuitu rerum celeriter in gyrum actarum vertigo proveniat?

Corpus candens aut luminosum in gyrum actum circulum lucidum oculis exhibet.

propagatum motum aliquamdiu continuari, nec illas in eam quietem concessisse, ut noviter adveniēti concitationi determinatae locus esse possit. Idem in aliis quoque sensibus, praecipue auditu, obtinere, exploratissimum est. Ecquis enim non novit? sonum vel fortiozem vel diuturnum, aut etiam attenta mente diutius perceptum aures postea aliquamdiu adhuc occupare atque sensui auditus, si ad alia conuertatur tam diu fraudi esse. Atque hinc etiam liquido apparet, cur, qui obiecta in orbem celeriter acta, diutius, constanter, & intentis oculis intuentur, hunc motum postea aliis obiectis affingant. Fortius enim & altius sic impressa & infixata idea rei motae, tum materialis, tum immaterialis, non actutum quiescit, aut evanescit, sed aliquamdiu retinetur, unde quicquid tum oculis & menti obuenit, illam ideam sequitur & ab ea contaminatur: & haec etiam est ratio, cur, quod experientia indubitata docet, ex iis corporibus, quorum motus celerior est, praesertim lucidis, continuus quasi & longus quidam in oculo intuentis tractus, & si in orbem moueantur, veluti circulus formetur. Nempe si fax extincta, sed tamen adhuc candens, paulo concitatus circumagatur, integer in oculo nostro circulus lucidus apparebit: etiamsi certum sit, imaginem rei visae in certis in oculo punctis quasi delineari, atque eodem momento, quo facis illius candentis extremitas ad dextram in certo loco conspicitur, eandem in sinisteriori oculi parte, in loco nempe opposito, depingi, non vero per integram oculi orbitam in forma circuli expansam esse. Scilicet, quod nulla difficultate intelligitur, excitata ab obiecti radiis in nervis visui ministrantibus aut fluido in illis contento agitatio paulo longius durat, neque tam cito quiescit, ut vnum quasi

quasi post alterum spatium, in quo corpus visum successiue reperitur, distincte & singulatim possit apprehendi: quamobrem phantasia ista spatia, in quibus obiectum successiue, sed sine distinctione cernitur, coniungit, atque continuum tractum simili vbique obiecto repletum sibi sistit.

XX.

Ita quoque, cur reliquae conditiones vertiginosam rotationem inducant, ex antea dictis expediri potest. Qui in alto & praecipiti constituti in profundum despiciunt, & qui ponticulum angustum pleni timoris transeunt, eorum metus inuadit artus, eoque maior, quo maius periculum imminere videtur: hinc tremor corporis & membrorum, aequilibrii musculorum aliqualis sublatio; vnde titubatio, oculorumque trementium sollicitior vbique intentio: succurrit idea lapsus & memoria eorum, quae cum illa coniuncta sunt, repraesentatio motus oculi per praeceptum celerissimi, rerumque tum oculum cito praetereuntium: verbo idea immaterialis celerissimi corporis rerumque oculos praetereuntium motus, quae ideam materialem e vestigio prouocat. Ita organum rerum circumeuntium imagines tremendo refert, atque obiecta, quae contuemur, radios immittunt in oculos, dum nerui tremore affecti sunt, & ita videbuntur moueri, & quidem, ob distantiam immutatam, in circulum. conf. in primis cl. BELLINI, *de Morb. cap. p. m. 588.* Accedit & hoc: quo altius sumus constituti, tanto maiorem aut longiorem caeli & terrae tractum oculis emetimus tantaque plura obiecta cernimus. Si itaque ad terram oculos subito conuertimus; oculi exiguo temporis spatio ingentem istum tractum ex alto ad horizon-

tem

Cur qui ex alto despiciunt, aut angustum ponticulum transeunt, vertigine sententur?

tem omniaque illa obiecta praetereunt. Hinc illa celerrime oculos praeterire, & ita moueri videntur : tanto scilicet celerius, quo maior est iste tractus, & quo longius obiecta distant. Hinc idea rerum motarum tum in communi senso-

Sur qui nauis iactantur, curru, inprimis retrorsum sedentes, uehuntur, idem experiuntur?

rio, tum ipsa mente, quam anima aliis obiectis propioribus, & omnibus, quae sibi sistit, affingit : hinc vertiginis affectio. Qui nauis iactantur, aut curru minus commodo, vel retrorsum sedentes uehuntur, eorum primo oculi mouentur, vnde ideae rerum motarum, & quidem altius infixae apud in assuetos; deinde totum corpus continuis succussibus exagitur, quae agitatio in subiectis delicatioris ac tenerioris constitutionis maiori molestia mentem simul afficit, atque in sollicitiorem agitationem pertrahit : vnde genus neruosum inordinate stringitur & commouetur, vnde radii incidunt in neruos idea rerum motarum iam occupatos atque simul tremore affectos; hinc obiecta videntur tremere ac moueri; hinc in maiori neruorum agitatione, vi nexus & consensus cerebri cum ventriculo, nausea, cardial-

Vertigo a per uigilio, intentione mentis, affectibus?

gia & vomitus. In pervigilio nerui continua intentione infirmantur, vt non tantum totum corpus, ex infirmitate, contremiscat, sed & oculi vix aperti teneri possint. In meditationibus diuturnis & intentis, in curis grauioribus, & affectibus violentis, exagitata mente, exagitur assidue cerebrum cum genere neruoso, ex lege conspirationis animae & corporis: vnde infirmitas, constrictiones, tremores, qui in omnibus affectibus vehementioribus, speciatim vero in ira, ipso visu percipiuntur: & cum affectuum vis in oculos praecipue redundet, ibique se quasi conspiciendam praebet, hinc in illis quoque tum constrictiones, dimotiones fibrillarum, tremores oriri quis negauerit? Proinde, dum oculus

contre-

contremiscit, dum radii lucis in neruos hac ratione affectos incidunt, non possunt non, secundum ea, quae fufius iam sunt exposita, gyrationis sensum producere, atque, dum in oculos motibus inordinatis, conuulsiuis quasi distractos, & ita quidem, vt axes geminorum oculorum non possint ad idem obiecti punctum dirigi, cadunt, obiecta vtrique oculo in diuersis locis sistere, & hac ratione duplicia exhibere.

Cur obiecta videantur gemina.

In ebris sanguis vi vini & ebriaminum rarefit, expanditur, nerui opprimuntur, cerebrum oppletur, grauatur, arteriarumque insolitis pulsationibus agitatur, atque ita praeter naturae ordinem distenditur, vt a naturali tensione & temperie discedat: & proin mens ipsa loco mouetur, totum corpus aequae ac mens ipsa torpet, nutat, oculi ad tumorem visibilem expanduntur, impulsu humorum agitantur, distrahuntur, rigent quasi & torpent & ob torporem, prompte, ad animae nutum, moueri nequeunt; vnde & axes illorum ad idem obiecti punctum tam facile conuerti non possunt, & hinc, ex modo dicta optica ratione, etiam his omnia gemina apparent. Quid igitur mirum, si in hac corporis & organi sensorii infirmitate tremula, dum nerui vibrantur, ac radii lucis non in easdem constanter retinae partes incidunt, rotationis ille sensus & in his oboriatur. Reliquarum conditionum corporis, & causarum, quas supra §. V. tanquam experientia compertas, enumerauimus, ratio, iam, vbi de causis egimus, fuit tradita, atque ex iis, quae supra fufius exposuimus, facillime inueniri potest, vt eidem dilucidandae hic immorari non opus sit.

Vertiginis & sensus vniuersi geminati in ebris ratio.

XXI.

Hisce fufius iam expositis & declaratis, nullo negotio conficitur: Vertiginem esse falsam animae, circa visionem

Quid sit vertigo ex dictis colligitur.

E

occu-

Quo loco habenda veterum de causis vertiginis sententia.

Differentias vertiginis.

occupatae repraesentationem, siue imaginationem, qua obiecta externa & quicquid corporei sibi fistit, tanquam tremula, vndantia, in gyrum acta, nunc splendoribus colustrata, nunc coloribus conspersa, aliquando tenebris obscurata, intuetur: cum nutatione, titubatione, aut etiam lapsu corporis: a commotione p. n. dimotione, distractione, aut etiam conuulsione fibrillarum tunicae retinae, neruique optici: aut ipsius aliquando cerebri, atque hinc proficiscentium neruorum pressione, impulsu aut lassitudine ac infirmitate tremula, oriunda. Facile etiam hinc perspicitur, quo loco habenda sit veterum, & quorundam etiam ex recentioribus, sententia, qui vertiginem a spiritibus in cerebro in se contortis, reuocatis, instar vaporum in vase commotis, fluctuantibus, turbinis in modum in gyrum actis, oriri contenderunt: qui modo πνεύμα ἀλμώδες, φυσώδες, ψευδοπνεύμα, modo fumos, halitus tenebricosos, spiritus animales, quos luminosos putabant, obfuscantes, aut virus rotans HELMONTII in medium hic attulerunt. Neque minus prompte differentias inde perspicere licebit. Differt enim hic affectus pro ratione graduum, quos in principio exposuimus. Differt pro ratione sedis causarum, vbi alia vertigo est idiopathica & per essentiam, quod vocant, vbi causa latet in cerebro & neruorum principio illudque primario afficit & conturbat. Quo referenda est illa, quae a sanguinis quantitate vltra modum aucta, a congestione sanguinis ad caput, a turgescencia sanguinis, aut etiam serosa capitis πλεονεξία originem trahit, item, quae apoplexiam, morbos soporosos, epilepsiam per essentiam praecedat & comitatur: alia sympathica, ventriculi, vteri, aliisque infimi ventris affectibus superueniens, aut ex doloribus exquisitis, inflam-

flammationibus internis, externis grauioribus oborta. Ita alia est simplex & solitaria, alia cum aliis morbis coniuncta. Sicut &, ratione durationis, alia est recens, accidentalis: quo referas & illam, quae a causis externis, iactatione in naui, corporis in gyrum motu, similibusque proficiscitur: alia inueterata & habitualis, vbi causae altius radices egerunt, ipsasque partes affectas, continuis insultibus, debiliores & magis dispositas ad hoc malum reddiderunt. Vnde alia etiam est consueta, alia minus consueta. Alia est constans, continua, perseuerans: alia periodica, per interualla, longiora, breuiora, certaue & stata, vel incerta, recurrens, a causis per periodos certas insurgentibus, & postea remittentibus; a sanguine per interualla aucto & ad caput congesto; a spasms & motibus conuulsiuis periodicis. Alia interdiu, alia noctu magis molesta esse solet, causis a certis, quae hic circumstant, conditionibus vtrobique magis excitatis aut repressis. Ratione primae originis alia est haereditaria, alia adscititia. Ratione aetatis alia est iuuenum in vigore aetatis constitutorum: alia senum. Differt etiam ratione causarum; quas tamen omnes differentias hic fusius enumerare instituti ratio non permittit.

XXII.

Diagnos^{Diagnos.} huius affectus omni difficultate caret, cum signa, supra §. III. exposita sint satis obuia & manifesta. Non tamen ita promte causae huius mali earumque sedes deteguntur. Hinc sollicitiori inuestigatione signa saepe perquirenda sunt, quibus illae in apricum protrahantur, &, num cere^{causarum.} brum primario affectum sit, num vero ex aliorum viscerum labe aut praeternaturali affectione, capite in consensum

E 2

tracto,

Signa vertiginis idiopathicas.

Sympathicas

Ex plethora

tracto malum originem ducat, in aperto collocari possit. Si vis sentiendi, mouendi, spirandiue multum impedita sit, si morbi capitis grauiore vertiginem comitentur, vel antecesserint, si dolor grauatius, acutus, pertinax caput occupet, si somnus profundior, insomnia molesta, grauiora, stupor, motus conuulsiui, aurium tinnitus, accedant, aut si laesio capitis externa grauior praecefferit; non vane concludimus, fontem mali in capite latere ac cerebrum per essentiam esse affectum. Si vero, capite vtcunque adhuc, quoad negotium sensuum, libero & vegeto, ventriculi, intestinorum aliorumque viscerum affectus, hysterici, hypochondriaci, scorbutici, congestiones circa venam portae, suis signis se prodant; si appetitus deiectio, nausea cardialgia, ructus acerbi aut nidorosi, inflatio abdominis, tensiones, dolores hypochondriorum frequentius instent & vrgeant, in inferiori ventre mali scaturiginem quaerendam esse facile intelligitur. Speciatim si vomitus aut conatus vomendi iam praecefferit vertiginem, si vomitus leuamen adfert; si ante pastum magis quam a pastu affligit vertigo, aut si post assumptos cibos sit leuior, ex ventriculo illam oriri dubium non est. Si vero nullae vomitiones antecesserint, si molestus maxime, sed inanis vomendi conatus cum ipsa vertigine accedat, aliaque signa affecti capitis ac cerebri reperiantur, vomitum vertiginis potius quam vertiginem vomitus effectum esse dubitari nequit. Plethora, huius mali causa, ex signis plethorae cognoscitur. Nec inepte aut praeter rem, bina haec signa mali huius originem ex plethorico statu insinuare, ex FRAMBESARII *Canon. Med.* contendit BARTHOL. de MOOR, *Patholog. cerebr. C. III. pag. 88.* nempe capitis aggrauationem, inflationem, speciatim va-
fa

sa oculorum admodum tumida ; & anxietates , oppressiones pectoris insignes , quibus aliquando aut tremor aut palpitatio cordis iungitur. Ex partium solidarum vitio & generis nervosi mala habitudine ac dispositione hoc malum proficisci , tum , nec inepte quidem , concludunt Medici peritiores , quando malum hoc grauius & perseuerantius vrget , quando conuiescentibus , a quibus pendere videbatur , morbis , perseuerat & sine manifesta causa exacerbatur , & quando medicamina , quae in illo malo , quod a vitio fluidorum venit , alias egregie conducunt , nullum vel exiguum leuamen afferunt : item quando opiata non ferunt aegri , & quando crebris vomitibus , sine ventriculi vitio aut quadam , quae deprehendi possit , labe infestantur. Quae tamen bina posteriora signa tantum vt probabilia aut coniecturalia proponit modo laudatus de MOOR. Si signa motuum conuulsiuorum vel imminentium , vel praesentium obseruentur , aut etiam pulsus crebra mutatio , titubatio : si spiritum simul difficilius ducat aeger , si malum eo vehementiae veniat , vt loquelae usum adimat , cerebrum grauius affectum esse colligimus. Si catharris grauioribus aeger obnoxius sit , si frequentius spuatur , si catarrhale seri per nares profluuium fuerit suppressum , insequentibus dolore , grauitate capitis , vigiliis diuturnis aut etiam pigritie , somnolentia , stupore : si caput frigoris sit impatiens , langueat sine manifesta causa , acuto & pertinaci dolore tentetur , nulla vel leuiori saltem comitante febricula , si somnus profundus , sub his conditionibus , accedat aut etiam motus conuulsiui ingruant , seri inprimis stagnationem aut etiam collectionem in vasculis , interstitiis & cavitatibus cerebri hoc , quicquid hic reperitur , mali perpetrare

Ex vitio partium solidarum.

Ex seri stagnatione in cerebro.

re non vana suspicio est. Reliquae causae per ea, quae mali hoc genus antecedunt, comitantur & sequuntur, haud difficulter patefiunt, modo prudens Medicus eo animum diligentius aduertere velit.

XXIII.

Prognosis. Cognitis variis istis causis ac recte perspectis, si aegri simul naturam, constitutionem, dispositionem habuerimus exploratam, tanto certius quid malum hoc importet, quid euenturum sit, & quantum spei supersit mente comprehendere, tantoque confidentius edicere licebit. Scilicet pro varia gradus & magnitudinis consideratione plus spei aut periculi deprehendimus. Vertigo simplex, leuior, recens, aut a causis externis inducta periculo vacat, si cetera fuerint paria. Non item tenebricosa, frequens, inueterata. Pessima est & periculosissima caduca. Quamuis & hic exceptioni locus sit: nempe si causa promptius cesset aut non ita difficilem curationem admittat. Vertigo per consensum, quae ex infimo ventre cerebrum quatit, non adeo periculosa est, quam quae est per essentiam; pro ratione tamen morborum, a quibus pendet, facilius vel difficiliter curatur, neque omni etiam periculo caret. In debilioribus etiam & senioribus, si sit diuturnior, apparatus ac dispositionem inducit ad grauiore morbos ipsamque apoplexiam. Vertigo essentialis, frequens ac diuturna, grauior, citra manifestas causas oborta, in senibus ordinarie apoplexiam; in iunioribus, qui triginta annos nondum superarunt, conuulsiones & epilepsiam minatur, proxime plerumque illos morbos antecedit, & in eosdem desinit. Vertigo recens, & quae a sola plethora originem ducit, si causa promte

remo;

remoueatur, periculo caret & facile cedit, inueterata vero & ex iis morbis, qui altas in corpore radices egerunt, ortum ducens, tam facilem medelam non admittit. De hac nempe tenendum illud WILLISII: *Habitualis vertigo & fere continua, etsi discrimen ingens aut breui imminens raro minatur, quia tamen therapiam non nisi diuturnam & valde difficilem admittit, saepissime & laborantem & Medicum ita fatigat, ut, priusquam morbus sanari poterit, alteruter alteri taedio fuerit, de Anim. Brut. C. VII. p. m. 209.* Neque tamen hic adeo securus debet esse Medicus. Hic enim morbus, si in radice succisus non fuerit, succrescit & dispositionem prauam continua afflictione inducit, ut saepe ex improviso, accedente causa noua procatartica, vertigo leuior in grauiorem degeneret. Hypochondriacorum & hysteriarum, speciatim in quibus sanguinis per menses euacuatio iam cessauit, vertigo facillime in habitualem transit & difficulter curatur. Quae a serosa colluue cerebrum obruente oritur vertigo periculo non vacat, difficilius etiam curatur: nonnunquam tamen tollitur. Quae a partium solidarum vitio, neruis insigniter labefactatis, aut quodammodo resolutis procedit, vix vnquam omnino cedit. Vertigo in febribus ardentibus grauior periculi plenum statum ostendit, HIPPOCRAT. *Coac. praen. C. I.* nisi crisin paulo praecedat, hac enim superueniente, soluitur. Cephalalgia exquisita vertigini superueniens vel apoplexiam, vel febres inflammatorias, vel etiam affectus arthriticos aut spasmodicos in partibus superioribus accersit. Cephalalgiam tamen aliquando etiam vertiginis remedium fuisse, ex AVICENNA & LAEL. A FONTE docet celeberr. noster STRAVSSIUS, b. m. *Palaestr. Med. P. I. Progymn. V. p. 99.*

In febribus ardentibus periculosa.

Cephalgia aliquando vertiginis remedium.

natura

natura, sensu exquisito excitata & insurgente, tono aut elatere fibrarum cerebri atque neruorum intenso, causaque materiali excussa & discussa. Ita quoque WILLISIVS, l. c. *vertiginem primariam anterius sitam*, (h. e. vbi causa anteriorem cerebri partem occupat & affligit,) *quae vix omnino exolodivis aut caduca est, magisque tuta ac sanabilis, in cephalaeam non raro commutari: posterius vero ortam longe periculosiorem, non raro in apoplexiam vel paralyzin aut in morbos convulsivos transire contendit.*

XXIV.

Quomodo sol-
vatur.

Solvitur hic affectus saepe salutariter critica euacuatione, causarum dissipatione & ablatione. In iuuenibus haemorrhagia narium: in viris haemorrhoidum, in foeminis mensium fluxus hoc malum saepe sustulit. Neque exempla defunt apud celebriores Practicos, vbi aliis etiam euacuationibus, vel criticis, vel ex accidenti abortis, v. gr. salivatione & similibus, conquieuit. Apud LOSSIVM vertigo pertinax & diuturna tandem casu ab alto, superueniente larga narium haemorrhagia, sublata est. *v. L. I. Obs. IX.* Sic myropola vertiginosus, derepente de scala, ob ipsam vertiginem, delapsus, accepto graui vulnere & capitis in parte postica contusione, his sanatis, a vertiginis insultu liberatus fuit. *v. Aët. Phys. Med. Acad. Caesar. Nat. Cur. Obs. LXVIII.* Effluxu materiae purulentae ex aure vertiginem aliquoties solutam obseruauit ZACVT. LVSITAN. *Med. Princ. L. VII. Hist. XII.* ingenti materiae purulentae per dentium alueolos & os excretionem, SCHENCKIUS, *in Obs. de vertigine.*

XXV.

Sic tandem, perspecta huius mali natura, partibus affectis atque causis, qua ratione therapia prudenti consilio instituenda sit, obscurum esse nequit. Cura scilicet versatur in remotione causarum & reparatione damni partibus laevis ac labefactatis illati, ut restituta integritate ad functiones suas recte peragendas habiles rursus fiant. Causae sunt continentes, proximae, propinquiores, remotiores. Quae si malum radicitus extirpari possit aequae ac debeat, auxiliis artis sunt amouendae, propellendae & eliminandae. Hinc, quando diuersas illas causas, propinquas, remotiores aggredimur, alia cura est in paroxysmo, alia extra paroxysmum: sicut etiam, prout partes in hoc morbo potissimum affectae vel per idiopathiam vel sympathiam affliguntur & infestantur, alio, alioque modo in cura procedimus. Cumque terribili semper facie incedat hoc mali genus atque aegri in hac afflictata conditione, pleni solliciti timoris, ne deteriora sequantur, praesentaneam opem & auxilium postulent: hinc & ipsum Medicum statim in paroxysmo de remediis sollicitum esse oportet, quibus eundem, quantum fieri potest, compescat, vehementiae causarum obuiam eat aegrumque eo ipso soletur & confidentiorem reddat, usque dum reliqua secundum artis leges expediri possint. Quandoquidem vero, quod supra iam diximus, vertigo idiopathica apoplexiae & epilepsiae prodromus, & ad easdem quasi gradus est, ex iisdem etiam causis, ex quibus isti grauiiores morbi oriuntur, quamuis leuioribus, originem ducit; nemo non intelligit, eadem etiam remedia, quibus illos morbos auertere & expugnare contendimus, hic esse adhibenda, atque morbi causis a Medico perito, prudentis animi consilio

*Cura.**alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum.**In morbo idiopathico quomodo cura instituenda.*

F

attem-

*Impeditus
sanguinis cir-
cuitus in ca-
pite insta-
randus.*

*A venae sect.
cura hic in-
choanda est.*

attemperanda. Quodsi itaque ἀπόληψιν φλεβῶν HIPPOCRA-
TIS, siue plenitudinem & obstructionem vasorum cerebri,
copiam sanguinis ad caput congestam meninges opplen-
tem & cerebrum aggrauantem, aut quemcunque infarctum
vel etiam rarefactionem, orgasmum, huius mali causam esse
constiterit, vt cerebrum in praesenti oppressiois periculo
versetur, atque vel apoplexia vel epilepsia metuenda sit,
vnicuique euidentis & perspicuum est, id negotii datum esse
Medico, vt impeditum sanguinis circuitum, quantum fie-
ri potest, citissime instauret, atque proinde a sanguinis mis-
sione & hic curam inchoandam esse: quum nullum prae-
sentius esse remedium, ad leuandum onere cerebrum, &
ratio commonstret & vsus rerum confirmet. Vt enim in
apoplexia, ita & in huius prodromo auertendo omnis salu-
tis ratio in materiae a capite reuulsione consistit. Vnde ce-
leberrimi & vsu medendi vere eminentes Medici nullum da-
ri remedium, quod tam cito & repente humores a capite
auertere & euacuare queat, quam V. S. contendunt, v. GRE-
GOR. NYMMANNVS, *de Apopl. C. XXXIX.* & qui huic
affurgit, Ill. Archiater Regius, DN. D. BERGERVS, *de
Apoplexia.* Sic & DODONAEVS, *Obs. Med. VIII.* in infarctu
cerebri ad apoplexiam tendente, nil consultius arbitratur,
quam confertim sanguinem mittere, etiamsi corporis tem-
peries frigidior & morbi causa pituitosa videatur: si modo
vires ferant. Neque enim citius a colluue serosa exonerari
cerebrum, quam per sanguinis detractionem, posse, & hu-
mores cerebri sine congestione sanguinis & infarctu non
esse. Nempe serum ex coacto intra vasa cerebri sanguine ex-
truditur, atque teri decubitus est hic effectus infarctus &
obstructionis, prout experimenta, per ligatas in animalibus
venas

venas id luculenter comprobant. Hinc etiam RIVERIUS, *Prax. L. 1. C. IX.* atque FORESTVS *L. X. Obj. XLVI.* alii- que Practici celeberrimi, a V. S. hic initium faciunt: atque clariff. *Histor. Morb. Vratislaviens* Scriptores venaesectioni in hoc affectu primas semper detulerunt. v. *Histor. A. MDCCI. pag. 263.* Instituenda vero V. S. larga satis, in brachio, ad promptiorem reuulsionem, si congestio fuerit grauior: (vn- de etiam e brachiis dextrum eligunt in capitis affectibus; quod eius lateris carotis non immediate ex arcuato aortae flexu, velut sinistra enascitur, sed mediate, e trunco axillari prouenit, aut, ex accuratiori recentissimorum obserua- tione, quod carotis dextra, ad exortum, cum subclauia, vt plurimum, in vnum, per aliquod spatium, coalescit, & quasi ex hac orta affurgit; & sic sanguinem, qui communem subclaviae & carotidis truncum intrat, ex parte ad brachium, ex parte ad cerebrum deferri necesse est, qui deinde, via in brachio aperta, tanto largius eo tendit vbi minor est re- sistentia, & parcius ad cerebrum impellitur) aut etiam in pede, praesertim si congestio a suppressione fluxus hae- morrhoidalis, catameniorum, aut stagnatione circa venam portae ortum trahat. Sanguine sufficienter missio, alius cly- steribus eluenda & sollicitanda, acrioribus etiam, si morbi conditio id exigat. Hunc in finem etiam laxantia, non tam *ἐκκαταρρηκτικά*, quam validiora, quae sanguinem & serum sol- uendi & fundendi quali vim habent, cum successu in vsum vocantur: qualia sunt helleborina, gummi ammoniacum in aceto squillitico solutum. pilul. de succin. *Crat.* de tartaro *Schroed.* stimulis conuenientibus acuatae & repetitis quidem vicibus exhibitae, interpositis salinis incidentibus, nitrosis, salibus neutris, cum cinnabarinis, & temperantibus, ocul.

V. S. in bra-
chio institu-
enda,

Cur in mora-
bis capitis
brachium
dextrum eli-
gant?

Etiam in pe-
de, & quan-
do?

Alius clyste-
ribus & la-
xantibus va-
lidioribus so-
licitanda.

v. gr. cancrorum, matr. perlar. aceto aut succo citri irroratis & solutis, conuenienti modo commixtis. Vomitorium etiam hic locum habere, ex praescripto HIPPOCRATIS, Aph. 17. S. IV, plures existimant: quod & in apoplectico paroxysmo aequae ac epileptico a Practicis vsu medendi clarissimis in vsum vocetur, tonumque ventriculi, & per consensum, etiam cerebri, stimulo suo exsuscitet, fortiterque *ἀνακαταλύσει* euacuet. Rarius tamen, in plethoricis, alii, & non nisi illo in casu, vbi ventriculum saburra obrutum esse constat, atque conatus naturae viam monstrat, ad illud deueniunt: sicut etiam vbi flatulenta ventriculi distensio adesse videtur, a vomitu plures abstinere, ne humorum congestio ad ventriculum magis inuitetur ac flatulentia ad superiora tendens habitualis inducatur, anxietatibus aduictis. Sed hoc prudentiae Medici relinquendum. Alui euacuationem etiam missioni sanguinis, & quidem in pede instituendae, praemittendam esse aliqui contendunt, cum si secus factum fuerit, haec praeposterum effectum praestitisse, congestionem particularem in commotionem vniuersalem, cephalalgiam vertiginosam in febrem transmutasse visa sit: quod in malo non adeo urgente, & quod a suppressione euacuationum consuetarum originem ducit, admitti potest; in urgente vero aequae ac in apoplexia nec missio sanguinis in brachio diu differenda, nec alui solutio longe protrahenda est. Neque vesicatoria temere omittenda, nec alii stimuli, quibus cerebri neruorumque tonus erigitur, partium solidarum in aduersum nisus augetur, vasorum succorumque motus exsuscitatur; ad excutiendam & abstrahendam grauem cerebro & molestam molem. Eum in finem commendatur etiam cauterium actuale in vertice applicandum. Scili-

Vomitoria an locum habent?

Rarius in plethoricis adhibentur.

Alui euacuatione an, & quando v. s. praemittenda?

Vesicatoria.

Cauterium actuale v. s. vbi applicandum.

Scilicet hic locum habet, quod PITCARNIVS inculcat, *Elem. Med. L. II. C. II. p. 98, quaecunque dolorem inferunt, efficere, ut vasa & muscoli contrahantur validius, & liquores infarcientes promptius ex semet ipsis expellant.* Emplastrum etiam cephalicum roborans vertici raso, & oxyrrhodium fronti imponitur. Sternutatoria minus tuta, quin Non Sternutatoria sed errhina & apophlegmatismi hic conveniunt. potius nociua sunt; quippe quae vertiginem, si non adfit, accersunt: errhina tamen, quae serum copiose subducunt, nec non masticatoria, apophlegmatismi cum fructu saepe vsurpantur. Pediluvia, non nimis tamen calida, aliquoties repetita, frictiones, inprimis pedum cum sale & aceto, ligaturae partium externarum haud parum saepe conducunt: sicut & spirit, vini camphoratus particula croci imbutus atque vertici ac temporibus applicitus: itemque saia volatilia, inprimis vrinosa, spir. sal. ammoniac. cum essent. castor. naribus, applicata, aut addita essent. succin. ori, ad aliquot guttas, instillata. Illa enim tenui acredine insigni vi excitandi & stimulandi pollent. Cauendum tamen, Calidiora & rarefacientia neque interne neque externe adhibenda, ante sanguinis depletionem. ne calidiora & quae vim habent rarefaciendi, expandendi, ante sanguinis depletionem atque alui solutionem temere adhibeantur: quod etiam de liquoribus stillatitiis odoratis, aquis cephalicis, apoplecticis, epilepticis, spirituosis, quae temere saepe & indifferenter in- & externe exhibentur, tenendum. *Nam calidorum huiusmodi caput implentium usu & morbus intenditur & aeger in periculum inducitur: praesertim quando sanguinis missio aut purgatio non praecesserunt: sunt verba DODONAEI, Hist. Stirp. Pempt. II. L. IV, C. VI. Praestat in hoc casu in usum vocare succos acidos & acidulos, granatorum, aurantiorum, citri, aquam apoplecticam amarum Ludovici, aquam cord. ex succis Tim. &c.*

XXVI.

*Aequabilis
sangu. distri-
butio promo-
uenda, cere-
brum & ner-
vi confor-
tand. obfir-
mand.*

*Medicamenta
quae hic in
usu vocan-
da.*

His praemissis, eo allaborandum, ut tum aequabilis sanguinis distributio per totum corpus promoueatur viaeque, per quas excretionem fiunt, seruentur apertae: tum ut cerebro eiusque membranis, atque nervis elater, robur, vigor restituatur: illaque contra novos insultus obfirmentur: quod tum blandis laxantibus, pilul. polychrest. balsamicis, quibus alius seruatur aperta, tum diaphoreticis & diureticis, tum confortantibus, cephalicis, & sic dictis tonicis, effectui dari potest. Quo faciunt incidentia, attenuantia, discutientia, antimonialia recte praeparata, nitrata, salia neutra, & quae prae aliis hic laudem merentur, cinnabarina, succinata, castorina, rite & conuenienter combinata. Vtui hic esse potest antimon. diaphoret. bezoard. mineral. specif. stomach. *Potter*, liqu. C. C. succinat. cum aqua ceras parat. mixtur. simpl. spiritus sal. ammoniac. aromatum temperatiorum, aut etiam ambrae virtute & fragrantia modice imbutus, balsam. neruin. *Schaeferi*, sal. vol. oleos. *Sylv.* prudenti manu, pro re nata, exhibitum: tinctur. antimon. tartarifat. acris, tincturae & essentiae martiales, essent. pimpinellae, zedoar. scordii, myrrhae, succini, essent. carmin. *Wed.* cum essentiae castorei parte commixta, essentia rorismarin. salviae, cherefol. nucistae, spiritus vitriol. volatilis dulcis, recte ex oleo vitrioli & spiritu vini praeparatus, crocus solis debito modo paratus, puluis antidinicus excell. *Lentilii*, *Miscell. Med. Pract. P. III. p. 115.* descriptus: spec. de hyacintho, infus. herbar. cephal. speciatim salviae, (cuius laudes in vertigine non immerito celebrare *SIM. PAVLI.* in *Quadrip. Botan.* obseruant *VRATISLAVIENSES*, l. supra allega-

allegato) cum rad. valerian. visc. quercin. cubebis, nucifsa, anif. stellato. Quae tamen omnia, pro diuersa morbi conditione & indicantium varietate adhibenda & continuanda, prudentiae & dexteritati Medici relinquuntur. Quamuis enim plura ex his, praesertim calida carminatiua, martialia, parum emolumentum, aut etiam non parum saepe nocuenti attulerint, non tamen plane contemnenda sunt, modo recte vtentem fortiantur. Si conuulsiones, aut motus epileptici praecesserint, aut pertimescendi sint, aut dolores exquisiti malum foueant, antispasmodicis & antepilepticis insistendum, opiatis etiam, sed modice & prudenter in usum vocatis, locus concedendus, nec aurum fulminans contemnendum.

Si conuulsiones adsint.

XXVII.

Laudantur in hoc affectu, vt specifica, radix Doronici longifol. & hirsut. (quae sale volatili acri cerebrum cum genere neruoso aggreditur; adeo vt recens & in nimia dosi exhibita illud vehementius adoriatur: vnde canibus & lupis data conuulsiones aliaque symptomata grauissima excitasse fertur: circumspecte proin in usum vocanda:) aegagropilae, rad. auricul. vrsi flor. flauo, stercus pauonum: nec desunt ex Practicis celebrioribus, qui multum illis tribuunt & operae pretium aliquando fecisse contendunt. Alii cinnabarim nativ. aut antimonii, cum sale vol. viperarum, & extracto castorei rite combinatam tanquam specificum commendant, non sine ratione, nec sine successu felici. Verum quod de stercore pauonis masculi, maribus, foeminae, foeminis exhibendo, de cerebro pauonis, cerebro passeris, sale sciuri, ciconiarum pinguedine, essent.

Specificæ.

sent, ciconiarum, stercore cati masculi, aliisque similibus commemorant, merito suo loco & pretio, suisque auctoribus relinquimus. Ut enim inanissimae rationes virtutem harum rerum, tantopere celebratam, insinuarunt: ita experientia circumspecta, fida, vera eandem non confirmavit: quamvis non desint, qui carnes ciconiae, pavonum, hirundinum cum cerebro, comestas multos a vertigine inueterata liberasse contendant.

XXVIII.

*Externa
quaequam ad-
hibenda.*

Externe frictiones, pectinationes circa nucham & verticem, itemque cucurbitulae cum scarificatione applicatae, atque certis interuallis repetitae conducunt. Cucuphae etiam, in phlegmaticis & frigidis, factis iam debitis euacuationibus, admittendae sunt; sed in plethoricis, cholericis, & ubi pertinax infarctus caput grauat, plus nocent quam profunt. Fonticuli quoque multum hic leuaminis adferunt, brachiis, aut, si malum a suppressis haemorrhoidibus, mensibus, impeditiori sanguinis transitu per venam portae, ortum trahat, pedibus impositi, &, in malo pertinaciori, cauterium denuo sincipiti admotum. Enim vero plane cum experientia & ratione conspirat, quod, ex ZACVT. *Lufitano*, adducit RIVERIVS, *Prax. L. I. C. IX*, in fine: virum nempe vertigine tenebricosa diuturna vexatum, cum plura expertus esset auxilia, & de futura apoplexia timor esset, nullo alio praesidio, (praeter euacuationes vniuersales & particulares, celebratasque in variis partibus fontanellas, setonemque nuchae affixum) quam cauterio bregmati imposito, potuisse perianari: atque hoc solo plurimos cerebri morbis exitalibus correptos ad sanitatem, vlceribus diu fluentibus, fuisse perductos. Conf. PLATERVS, *Pr.*

L. I

L. I. C. VII. Cryſtallus appenſa, quam vulgo commendant, parum ſolatii praebebit, niſi, in malo leuiori, phantafia in meliorem ſpem exardeſcens & commota aliquid efficiat. Atque huic etiam effectus adſcribendus erit, ſi potus e vaſe cryſtallino, referente id ex aliis, *PLATERO, L. I. C. VII,* hic aliquid praefitit.

XXIX.

Si malum fuerit ab inanitione nimia, aut fluidi neruei defectu, nemo non intelligit, confortantibus, analepticis sanguinem blande expandentibus viresque reficientibus, tum pharmaceuticis, tum diaeteticis aegro ſubueniendum. In hoc caſu locum habere poſſunt aquae cephalicae herbarum balsamicarum & aromatum partibus ſalino volatilibus oleoſis refertae, cum eſſent, ambr. elaeoſach. cinnamom. macc. balsam nerv. *Schaeſ.* ac ſimilibus: & vel ſolus vini generoſi conueniens uſus ac diaeta ſucceſſiue inſtaurans ad malum propellendum ſufficiet.

*Si malum ſit
ab inanitione.*

XXX.

Si laxatio quaedam neruorum, horumque tonus quodammodo infirmatus huic malo fores aperiat, cauſae infirmitatis illius perquirendae ac remouendae ſunt, deinde confortantibus tonicis inſiſtendum, eoque omnia dirigenda vt ad priſtinam legitimam tenſionem nerui redigantur. Huc pertinet curioſum exemplum vertiginis inueteratae nullisque remediis auſcultantis per tubae clangorem, caſu auditum, ſublatae, & quoties poſtea ſcoto-mia ingruerat, eodem clangore fugatae, v. *Act. Phyſ. Med. Acad. Caefar. N. C. Obſ. XLIII.* cuius mirabilis curae ratio procul dubio haec eſt, quod ſonitu incitato ac intenſo aurium neruoſo apparatu, ipſaque anima excitata, cerebri &

*A laxatione
neruorum.*

*Vertigo tubae
clangore cu-
rata.*

neruorum oculorum fibrillae in consensum tractae, & simul cum animae exagitatione conspirantes, tono suo restitutae fuerint, vt causae morbificae resistere magis eandemque excutere valuerint. Sono enim, & quidem certa ratione, determinato, neruos aut fluidum in illis contentum, certo ac determinato modo moueri satis expeditum est apud Physicos. Exempla collegit cel. MORHOFIVS, *de Scyph. vitr. per cert. hum. voc. son. fr. C. XVI.* vbi obseruationem adducit de foemina, cuius cerebrum sonitu cornu inflati ita commotum fuerit, vt in epilepsiam inciderit.

XXXI.

Vertigo consensualis quomodo curanda.

In vertigine consensuali & symptomatica, quam vocant, ante omnia sedes causae inuestiganda, atque affectus primarius, vnde pendet, curandus. Cumque in ventriculo & primis viis saepissime eiusmodi morbi, qui vertiginem comitem habent, radices egerint; hinc eo annitendum vt tum cruditates primarum viarum incidantur, soluantur, praeparentur, per salia, sic dicta, digestiua, neutra, tum materia iam fluxilis & ad euacuationem apta reddita exterminetur, per vomitoria, infus. croc. metall. aut vitri antimonii, siue aqu. bened. *Ruland.* syrup. aut oxyfachar. emet. rad. hypecacuanh. cum flor. sal. ammon. aut arcan. duplic. conuenienti dosi exhibitis, vel laxantibus, sennatis, rhabarbarinis, helleboratis. Postea ventriculi & intestinorum tonus erigendus & confortandus pulueribus & essentiis stomachicis, pulv. stomach. *Birckm.* spec. diarrhod. *Abb.* & similibus, cum pulv. hepat. rubr. essent. carm. *W.* elix. antifebril. *M.* essent. zedoar. cort. aurant. scordii, card. bened. cent. min. gentian. pimpinell. chaquerill. &c. subiunctis aut etiam commixtis, pro rerum con-

conditione, carminatiuis, aperientibus, martial. speciatim essent. martis tartarif. *Ludou. tinct. mart. Zwellfferi, tinct. mart. cum succo pomor. vterinis, hepaticis, spleneticis, nephriticis, antiscorbuticis, infusis ex herbis antiscorbuticis, radicibus aperientibus, incidentibus, diureticis, quibus, pro re nata, commiscantur, ad alui solutionem per epicrasin, blanda laxantia. Quo faciunt etiam pilulae ex extractis amarum, balsamicis, laxantibus. Inprimis vero cura est gerenda ut euacuationes solitae, continuae & periodicae rite procedant, aut suppressae prouocentur, inordinatae ordini suo restituantur, ut haemorrhagiarum, haemorrhoidum ratio habeatur, euacuationes artificiales, venae sectiones, scarificationes, euacuationes per aluum, quibus natura assuevit suis temporibus non negligantur.*

Excretionum ratio habenda.

XXXII.

Diaeta causis debet esse opposita. Proinde pro morbi diuersis conditionibus atque aegri quoque constitutione diuersa est. Si malum sit a repletionem, tenuis, si ab inanitione lautior esse debet. Si ventriculus a ieiunio moleste instet, prandeat, imo ientaculum sumat, ut ventriculus habeat quod agat; nec molestia percipiatur: ex monito HIPPOCRAT. *de vet. Medic.* In genere vero, quoad usum sex rerum, sic dictarum, nonnaturalium, aegri, caute ac circumspecte se gerant, nec mediocritatis leges facile aut temere transgrediantur. Hic enim nec satietas, nec fames, nec aliud quicquam quod naturae modum excedit, bonum est, verbis HIPPOCRATIS, *Aph. 4. S. II.* Ipse aeger exploret naturam suam & idiosyncrasiam, obseruet solícite quid proficit

Diaeta qualis praescribenda.

fit aut noceat: caueat ab omni eo quod laesit. Speciatim aër frigidus, nebulosus, pluuiosus, austrinus, nocturnus, effluuiis item vaporosis, expansiuis, suaueolentibus aequae ac graueolentibus, aut etiam acrioribus, malignis inquinatus, corruptus, est vitandus, corrigendus, aut corpus contra illius iniurias muniendum. Inprimis cautionem adhibeat aeger ne repentino frigori, praesertim corpore calente, se exponat. Cauendum etiam ne lumen nimium oculos perstringat; ne murmura, susurri, in turba hominum, v. gr. aut ex aliis causis, auribus diu obstrepant. Cibi eligendi concocti faciles, *εὐχρηστοί*, qui nec nimiam, nec prauam sanguinis copiam gignunt. Vitetur ingluuies & crapula. Potus sit tenuis, defaecatus, ventriculo nec ingratus aut molestus, nec inimicus; & si e re videatur, radicibus ac herbis conuenientibus infusis morbo accommodatior redditus. Vina Rhenaena, Mosellana, etiam Gallica, sed optima, perspirabilia, generosa, quae caput non implent aut grauant, modica quantitate, concedi possunt. Vitandus est omni modo abusus potuum calidorum, Thee, Coffe. Motus & quietis, somni & vigiliarum, excretionum naturalium, affectuum animi moderamen curae cordique habendum & pro ratione cuiusque constitutionis, nec non aliarum quae circumstant conditorum varia ratione, temperandum.

